

In memoriam Dris L. Buys C. SS. R., Sup. Gen. Redemptoristarum (1)

*Linea principalis totius eius actionis. erat coniugium inter theologiam et curam animarum.*

Die 27 Iunii Oeniponte Austriae Rev. mus P. Dr. L. Buys mortuus est, Superior Generalis Redemptoristarum.

Natus erat in Middelharnis (Goeree in Overflakee) die 8 Dec. 1896. Studia humaniora absolvit prope sacellum *in 't Zand* Ruremundae situm et a. 1915 Buscoduci noviciatus Redemptoristarum ingressus est. Professione die 29 Sept. 1916 facta philosophiae et theologiae in Wittem studebat, ubi die 11 Ian. 1922 sacerdos ordinatus est. Eodem anno Romam adiit, ubi in Athenaeo *Angelicum* primo philosophiae et deinde theologiae lauream assecutus est. Postea paucis annis Romae permansit tamquam cooperator P. D. ris C. Damen in recognitione celebri libri manualis theologiae moralis a P. Aertnys confecti. Inde ex anno 1928 in Wittem theologiam moralem docebat, postea etiam theologiam pastorem et spiritualem.

Lectoratus eius nota expressa erat profunda theologica perspicientia materiae et modus docendi valde personalis, quibus Studentibus permanentem et penitus insitam formationem comparabat. Cura animarum operam theologiam vivam reddebat; theologia curam animarum foecundabat et penetrabat. Primo ita egit in ambitu circumscripto Studentatus Wittemiensis, sed celeriter nomen eius celebrius fiebat. Diebus studiorum, in conventibus et gremiis peculiaribus curae animarum nostrae nationi et variantibus conditionibus nostrorum temporum adaptandae operam navabat.

---

(1) Articulus ephemeridis *De Tijd*, 30-6-1953. Signatus: Dr. H. BOELAARS C. SS. R., Wittem, L.

A. 1936 associatus est collegio redactionis periodici clero destinati *Nederlandse Katholieke Stemmen*, quod eo instigante titulo secundario *Maandschrift voor theologie en zielzorg cognominabatur*. In diversis aliis periodicis, puta *R. K. Artsenblad*, *Maandschrift Economie*, *Moederschapzorg* et aliis articulos publicabat, et praeerat parti theologiae moralis in prima editione operis *Katholieke Encyclopedie* quae multos articulos ab eo conscriptos continet in formam quasi crystallinam redactos et plenos ingenii profunde theologici. Multorum sacerdotum et religiosorum consultor et moderator spiritualis fuit atque annis occupationis bellicae Episcopatus multorum consiliorum gravium socius et administer.

Eisdem annis Actioni Catholicae construendae cooperabatur, specialiter in Dioecesi Harlemensi, ita ut H. M. van Spanje (tunc temporis Director Actionis Catholicae) eum a. 1947 Generalem electum, « Architectum nostrae Actionis Catholicae » appellaret (*Pinkstervuur* 2, 1947, pag. 193).

A. 1946 Consultor Provincialis Amstelodami residentis nominatus et a. 1947 pro Capitulo generali Redemptoristarum Romae habendo Vocalis electus est. In hoc Capitulo die 30 Aprilis Superior Generalis creatus est. Iteratis morbi impetibus non obstantibus sex annis Generalatus magna et multa agitabat, quae omnia eadem linea principali dirigebantur: Theologia et cura animarum. Tractatio theologiae moralis in connexione cum theologia dogmatica, ascetica, pastoralii novos impulsus accepit. Renovatio methodorum missionalium, opus exercitiorum paroecialium et « stationum peripheriae » atque eiusmodi alia ab eo incitabantur et claro intuitu theologali fines ponendos fortuitoque obvientes delineationes cognoscebat.

In Francogallia consilia conferebat cum P. Motte O. F. Min. (auctore « Novae Missionis »), in Helvetia cum Von Hornstein (Professore in Universitate catholica Friburgensi, Directore Instituti pro Praxi pastoralis, moderatore periodici valde aestimati *Anima*). In America Meridionali, ubi industria immensos fines celeriter penetrans magna problemata secumfert, novas vias quaerebat et ingrediebatur. In universa Europa et in utraque America congressus et deliberationes cum militibus Christi in prima acie certantibus habebat. In itinere, quod ad congressum internationalem de missionibus popularibus Monachi habendum susceperat. Oeniponte graviter aegrotum se sentiebat. In clinicā universitariā receptus post diuturnas inquisitiones operationi chirurgicae subiectus, die 10 Iunii ultimis sacramentis munitus est. Deinde nuntiis melioribus datis restitutionem exspectabamus. Extemplo valetudo deterior facta est, et die 27 Iunii circa octavam horam vespertinam decessit.

Grandia ab eo expectabantur. Viae Dei non sunt viae nostrae.